B. N. C.
FIRENZE
1034
19

1034 17

XXXII
ad II.ID
MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1034
19

XXXII.

Le ad Z. TRID.

ORATIO HABITA AD PATRES CONCILII Tridentini dominica prima quadrageſimæ anni. 1547. per fratrem Georgium de ſancto Iacobo ordinis prædicatorum conuentus ſancti Dominici Olysbonenſis.

EXORDIVM.

TANTA eſt altitudo & ſublimitas myſteriorum regni Dei Reuerendiſs. ac Illuſtriſs. Dñi, paſtores ouiũ Chriſti, patres optimi, tãta inquã eſt myſterioꝝ Dei ſublimitas, profunditas, & inſcrutabilitas, & ad ea intelligenda, tã humile & imbecille ingenium noſtrũ, tam hebes, tam obtuſum: ut Paulus apoſtolus, doctor gentium, uas electionis, qui uidit arcana Dei, & plus omnibus laborauit, fateri cogatur, non eſſe nos ſufficiẽtes cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra (inquit) ex Deo eſt. Et ueritate *2.Cor.3.* reuelante didicimus, illos mentis oculos eſſe beatos: qui digni ſunt uidere, quæ multi Reges iuſti & prophetæ uoluerunt uidere, & non uiderunt, au- *Luc.10.* dire, & non audierunt, illos ſolos eſſe felices, quibus datum eſt, noſſe my- *Mat.13.* ſterium Regni Dei. Nam cæteris qui foris ſunt (inquit) omnia in parabo- *Luc.8.* lis fiunt, omnia in parabolis dicuntur, Videntes, non uident, Audientes, non audiunt, et loquentes, non intelligunt, nec quæ loquunt, nec de quibus affirmant. Potiſsimum ſi de tentationibus agatur, quas paucíſsimi in- *1.ad Thi.4* telligunt, cum tamen omnes ubiq; tententur: & tunc maxime, quando ſe tentari minime arbitrantur. At animales homines (quorum infinitus eſt *1.Cor.2.* numerus) non percipiunt, quæ ſunt ſpiritus, nec poſſunt intelligere, quia ſpiritualiter examinantur. Ad hæc tanta eſt ueſtra dignitas, authoritas, & maieſtas eccleſiarum principes, ꝙ in tanto ueſtro conſpectu dicere, doctiſſimus quiſq; quantũuis ſufficientiſsimus merito dubitaret, timeret, recuſaret, quanto magis is, qui omnium dicendi partium expers, de rebus grauiſſimis dicturus, ſufficientiam nullam habet? quãobrem multiplici hoc iure, magis nunc ꝙ̃ unquã, refugere nos oportet ad Deum optimum maximũ, fontem luminis, patrem miſericordiarum, adeamus neceſſe eſt ad thronum gratiæ eius, ut precibus Virginis matris ſanctorumq; omnium, miſericordiam cõſequamur, & gratiã inueniamus in auxilio opportuno, ne de tenta- *Hebre.4.* tionibus audituri, audiendo, aut dicendo tentemur. ipſe enim eſt refugium *Pſal.45.* noſtrum & uirtus, adiutor in opportunitatibus in tribulatione. qui ſurdos facit audire, & mutos loqui. Qui ſpiritus cũ ſit, ubi uult, & qñ uult, ſpirat, *Mar.7.* & facit ut uox ipſius audiat, qui in deſerto ex dura & arida petra fluẽtes dul- *Ioan.3.* ces aquas populo ſuo eduxit. qui deniq; qñ beneplacitũ eſt in oculis maie- *Num.20.* ſtatis eius, diu ſteriles, aliqñ tandẽ fœcundos facit. quia deus ſciẽtiaꝝ dñs eſt, & ipſi reuelant nõ ſolũ facta & uerba, ſed etiam cogitationes, uerum ut di- *1.Reg.2.* cendi audiendiq; gratiã facilius impetremus, eccleſiæ quæ repulſam neſcit, hymnidica utamur oratione, cum ea dicentes, paucis mutatis.

Hymnus quadrageſimæ.

Audi benigne conditor, noſtras preces & gemitus,
In ipſo mei officij fuſas nunc exordio.
Scrutator alme cordium, infirma tu ſcis uirium.
Ad te conuerſo exhibe locutionis gratiam.
Multum quidem deficimus, ſucurre confitentibus,
Ad laudem tui nominis, confer loquelam timidis.
Sic opus extra perfici, dona tuis per gratiam,
Ebibat ut mens ſobria de fonte prorſus luminum.
Præſta beata trinitas, concede ſimplex unitas,
Vt fructuoſa ſint tuis hæc labiorum munera. Amen.

PRIMA PARS.

IN deſerto huius mūdi inuio, arido, & inaquoſo, in quo tot
ſunt feræ, uenenatiq; ſerpētes, atq; dracones flatu adurētes,
Gene. 3. in quo filij Adæ nō niſi in ſudore uultus ueſcunt pane ſuo,
& maledicta terra in opere ipſorū ſua ſponte tribulos ger-
minat, atq; pungentes ſpinas, nō modica præualuit eſuries
famesq; pergrandis. Propter quam filij Iſrael dei terram promiſsionis ſpūs
melle & lacte manantē patribus quidem promiſſam, à filijs autē poſſeſſam,
Exo. 1. frequenter egredi coguntur: Aegyptumq; intrare, ut ſeruiant Pharaoni in
Luc. 15. operibus duris luti & lateris. Propter quam filius familias domum patris
egreſſus, conſumptisq; bonis hæreditatis paternæ, adhæret ciui regionis
longinquæ, ut porcos paſcat, eoq; deueniat, quod cupiens implere uentrē
de ſiliquis quas porci manducant, nemo illi det. fames pergrandis, dura, &
moleſta nimis. Concupiſcentiam dico carnis oculorū, ac ſuperbiam uitæ,
præter quæ tria nihil eſſe in deſerto huius mūdi ſcribit diſcipulus ille, quem
1. Ioan. 2. diligebat Ieſus. Hac maledicta fame quam primū quis eſurit, ſtatim accedit
tentator, qui nullam unquam prętermittit occaſionē, ſiue enim cū Chriſto
corpus ieiunet, aut cum Adam aius concupiſcat, ſiue ſpūs incipiat, aut carō
deficiat, mox adeſt, qui tentat, aut inde prouocatus pp ſuam ipſius malitiā,
aut hinc uocatus pp noſtrā ipſorꝝ inſipientiā. Sic ergo fameſcentibus nobis
ſubito cum ſuis ex his quę delectant ineſcatis hamis infernalis piſcator ac-
Sap. 14. cedit, & ob eſcam creaturarum ita pro dolor capiuntur hoīes, ac ſi creaturę
Dei in odium factæ fuiſſent, & in tentationē aiæ hoīum, & in muſcipulam
pedibus inſipientium. hic.n. eſt robuſtiſsimus ille hoīum uenator atq; pi-
ſcator, animabus ſemper inſidians, qui ſuos hamos, laqueos, & retia ubiq;
locorꝝ tendit atq; expandit, ut in medio laqueorꝝ ambulantibus hoībus,
cadant in retiacula eius peccatores, ſerpens antiquus, callidior cunctis ani-
Gen. 3. mātibus terrę, qui ſua calliditate primos noſtros decepit parentes. Spiritus
immundus, ambulans per loca arida & inaquoſa, qui tanquam leo rugiēs
Mat. 12. (inquit princeps apoſtolorꝝ) circuit, quęrens quem uiuum deuoret. Viuos
enim chriſtianos filios Dei quęrit, qui in mortuis Iudæis ac paganis requiē

non inuenit, hic denique eſt dementator animarum, hoium incantator, incantans non ſapienter, qui toto malignitatis ſpiritu dementare, incantare, decipere, & ut perdat, illaqueare non ceſſat. Cuius dementationes, incantationes, laqueos, & deceptiones ſolus ille detegere potuit, qui plenus gratiæ & ueritatis, ſolus eſt lux uera, illuminãs oẽm hoiem uenientẽ in hunc mundum. *Ioan. 1.* In quo ſolo ſunt oẽs theſauri ſapientię et ſciẽtię Dei, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum. *Coloſſ. 2.* Qui in hoc natus eſt, ad hoc uenit, & in hoc apparuit, *Eſai. 7.* ut diſſoluat opa diaboli. *1. Ioan. 3.* Qui etiã propterea hodie ductus à ſpiritu in deſertum ut tentatus à Diabolo omnes ipſius diſſolueret laqueos et tentationes. *Mat. 4.* Quatenus qui propter nos homo factus, pro noſtro exemplo circuncifus & baptizatus fuerat, ſua quoq; tentatione nos erudiret, qui pro noſtra ſalute moriturus erat. *Lu. 2. et. 3.* Vt prius nos doceret ignitorum ſerpentum uitare morſus & uulnera, qui poſtea (ut æneus ſerpens olim) in cruce exaltandus erat, *Num. 21.* ut percuſſi à ſerpentibus non perirent, ſed aſpicientes in eum, haberent uitam æternam. *Ioan. 3.* Quo etiam tpe ſuos docturus erat uigilandũ & orandum eſſe, ne intretur in tentationem. *Mat. 26.* Quãdoquidem in deſerto huius mũdi quandiu orando ad deũ, eleuatas manus habemus, uincimus Amalec, ſin minus, ab eo ſuperamur. *Exo. 17.* *Ioan. 13.* Itaque noſter dñs & magiſter (eſt etenim) hodie exemplum dat nobis, ut quemadmodum in tẽtationibus ipſe fecit, ita & nos faciamus. Et ſicut aquila prouocans ad uolandum pullos ſuos, *Deu. 32.* & ante eos uolitans, hodie docet ſuos fideles ambulare ſuper aſpidem & baſiliſcum, conculcare leonem & draconem. *Pſal. 90.* Docet fugere à facie arcus, ut liberentur electi, illudentes illi magno draconi, qui formatus eſt ad illudendum ei. *Pſal. 59. et 103.* Docet ex tribulis & ſpinis dulces nutriẽtes uuas & ficus colligere. Quaſi ex pungentibus tentationum ſpinis floridas uictoriæ coronas ſibi comparare. Docet deniq; ita mortiferas diaboli bibere tentationes, ut earũ letale uenenũ credentibus tentatis non noceat. *Mar. 16.* Et in primis ne in ſolo pane uicturos ſe ſe exiſtimantes homines, uelint rerum mutationes fieri propter famem & uentrem, quoniam miracula ſeu communium legum diſpenſationes non propter eſcam & uentrem, qui deſtruentur, non propter carnem & ſanguinem qui cum matre & filijs Zebedei neſciunt, quid petunt, *1. Cor. 6.* *Mat. 20.* ſed propter ſuperioris ordinis bonũ, utilitatem ſcilicet aĩarum & gloriam dei ſunt facienda. Tametſi dñm hic etiam aliud docere intelligere poſſimus. Nempe ne homines prætextu alicuius famis ſeu paſſionis (quod in continentium ſeu fragilium eſt) duros uitiorũ lapides à tentatore quidẽ oſtenſos, per neceſſitatem aũt aut cõmoditatem aliquam ueluti in panes conuerſos, deglutire uelint, id qđ faciunt illi, q decimantes mentam, rutam, & oẽ olus, prętermittentes interim quę grauiora ſunt legis, iudicium, fidẽ, charitatẽ, & miſericordiam, excolantes culicem, camelũ digluriunt. Deinde exiſtẽtes in templo dei, quippe qui ex altario uiuunt, quia altario deſeruiunt, potiſſimũ *Luc. 11. &* *Mat. 23.* eũ ſupra pinnaculũ ſunt tẽpli, docet cœleſtis diſciplinæ & ſecuritatis magiſter, ne decepti à diabolo (qđ ad ignorantes pertinet) perſuaſi textibus male

citatis,& diſtortc intellectis,aut diſpenſationibus cauſas et ſufficientiã(quas habent)ſupplentibus ſe precipitent,ut conterantur,illorum ſequentes opinionem,qui non diiudicantes ius diuinũ ab humano, præcepta diuina,humana,diſpenſatores, dominos arbitrantur. Qui pro comperto habentes perſonalibus obligationibus per alios poſſe fieri ſatis, quaſi per ſubſtitutos liceret ingredi cœlum,& poſsidere:Non diſtinguentes inter fidelem diſpenſationem & crudelem diſsipationem,putant licere iure poli quidquid licitũ eſt & permittitur iure fori. Vocitantes nihilominus unionẽ ad uitam, etiã eam,quę irrationabilis eſt, & uere diſſolutio ad mortẽ. Quorum dãnatio iuſta eſt, qui propterea ita abſurde opinantur, quia in eadem damnatione
Iere. 8 ſunt.De qualibus ſcribit Iere. propheta quomodo dicitis ſapientes nos ſumus,& lex domini nobiſcum eſt?Vere mendacium operatus eſt mendax,
Eſai. 3. ſtilus ſcribarum.Et Eſa. populc meus qui te beatũ dicunt, ipſi te decipiunt. In monte demũ conſtitutos quos ſcilicet natura ipſa,probitas,res bene ge
Auguſt. in regula. ſta aut certe humana induſtria in ſublimitate conſtituit(qui quanto in loco ſuperiori,tanto in periculo maiori uerſantur)ſuo exẽplo admonet is,cuius omnis actio nr̃a eſt inſtructio, ut ſumma uigilantia maximoq; zelo diuino ſtudeant honori:Dęmonio meridiano cum rigore reſiſtant. Aperte tentationi uiriliter repugnent.Maxime Chriſti domini, ſacerdotes dei altiſsimi, eccleſiarũ prelati,quos Satanas frequentius tentat,turpius,apertius, & uehementius, Vt legem contemnendo(quod malitię foret)in aliorũ ſcandalum & ſuam perditionem cadant,& Satanam adorent,prętextu uidelicet glorię regnorũ mundi,quę Satanas ipſe in alto eleuatis,principibus,ſacerdotibus, epiſcopis,& prælatis,& calliciſsime mathematice oſtendit,& ut mendaciſsimus eſt,mendaciſsime promittit,ut ſaltem per mendacia et mathematicas promiſsiones, per ſtultas & ſomniatas ambitiones columnas Eccleſiæ in multorum perniciem cadere faciat (quæ eſt ipſius gloria.)Nam qui uolunt
1. ad Th. 6 diuites fieri (inquit apoſtolus Paulus)incidunt in tentationem & laqueum diaboli,& deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt hoies in interitum & perditionem.Radix enim omnium malorum eſt cupiditas,quam quidem appetentes, errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.
Pſal. 44. Nihil,amiſſa fide ſibi retinentes, quod præterea poſsint amittere. Deniq; ſpecioſus forma præ filijs hominum in cuius labijs, præ conſortibus ſuis, diffuſa eſt grã.Hodie primo accingit gladiũ ſuũ ſuper femur ſuũ potentiſsime. Et in ore gladij oẽs inimici laqueos & tentationes pręſcindẽs præſcin-
Ephe. 6. dendoſq; docens,in gladio ſpiritus quod eſt uerbũ Dei, & ſpiritu oris ſui,
Ioan. 12. uicit principem huius mundi, poſt pauca foras eijciendum. Vt merito de iudicio arguẽdus ſit,omnis qui poſthac principi tenebrarum ceſſerit, illiq;
Ioan. 16. ſeruierit,qui iam iudicatus,uictus,& ſuperatus,foras eiectus eſt.

Supereſt ut obiter & intranſcurſu grauiora nocumenta referamus, quæ per ſuas tentationes populo Chriſtiano intulit draco hic flatu adurens. Et cum breuitate de eorum remedijs agamus, quæ à dominationibus ueſtris

eſflagitamus

efflagitamus omnes. Si tñ (quod in principio non in medio facere debui) prius precatus fuero Reuerendiſs. ac Illuſtriſs. dñationes ueſtras, ut ueſtro more, & pro ueſtra i omnes ſolita humanitate, me quoq; (licet indignum) benigne audientes, ea que dixi, & dicturus ſum æqui boniq; conſulatis.

SECVNDA PARS.

EXPLORATA res eſt, autenticis hiſtorijs ac rerũ monumentis facta conſpicua, & nobis tam comperta utinã non fuiſſet, Populũ chriſtianũ, qui (iuxta Eſaiæ uaticiniũ) olim ſedebat in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta, probans quę eſt uoluntas Dei bona bene placens & perfecta, iam ab annis multis ob draconis tẽtationes cœpiſſe deſcendere à Ieruſalẽ in Iericho, cœpiſſe declinare ab ea inqua erat, pacis uiſione, ut appropinquaret Iericho, quę luna interpretatur, ut. ſ. lunę appropinquans, ut luna decreſcere poſſet, minui, & obſcurari. Et qđ magis in admiratione adducit, eo amplius (ut luna) decreſcit & obſcuratur. Populus chriſtianus, quo magis accedit & appropinquat ſoli iuſtitiæ ad iudicium uenturo. quę res ſi admodũ (ut incipit) procedat, ipſius ſolis iuſtitiæ eclipſim propediem nobis futurã, merito formidare debemus, & i foribus eſſe eam quã Paulus ſcripſit futurã, generalem diſceſsionem, Vt reueletur homo ille peccati filius perditionis, qui aduerſaŕ, & extollitur ſupra oẽ quod diciŕ deus. Maxime quia iam ſeneſcente ac delirante mũdo, nimiũ aduesperaſcit, nimiũ inclinata eſt dies, longęq; umbræ. Et quaſi nõ maximũ malum fuiſſet, à patribus ſuis degeneraſſe populum Chriſtianũ, & non eſſet durum & amarum ualde uel parum receſsiſſe eum à deo ſuo, aſtutia & tentationibus draconis prætereca factum eſt, ut etiam inciderit i latrones, hoĩes cupidos, crudeles, famelicos, inſatiabiles, imperſuaſibiles, inexorabiles, graues. ſ. magiſtratus, impios principes, & infideles prælatos. Nec tamen de bonis loquor, cum graues, impios, aut infideles nomino, ſed eos intelligo, qui nõ diſpenſatores, ut re uera ſunt, dño ſuo ſtrictam reddituri rationẽ, ſed abſolutos dños ſe eẽ falſò ſtatuentes, tanq; lupi famelici, & leones parati ad prædam, irruerunt in populum dñi, in dominicas oues, qui eius diuitijs, obſequijs, lacte & lana non contenti, etiam deſpoliauerunt eum ueſtibus ſuis pretioſis, illis prælatis, doctoribus, ſacerdotibus, & religioſis eum priuando, quibus (ut ueſtibus gloriæ ſuæ) olim protegebatur populus dñi, effectus decorus totusq; glorioſus. Quandoquidem huius rei cauſa diligentiſsime curauit, ſicut & curat ſatanas, ut prælaturę dignitates, pinguia ſacerdotia, maiora officia conferanŕ non dignis, nõ doctis, non probis, non deniq; expertis ſenibus ac zeloſis, ſed econtra indignis, indoctis, diſcolis, & etiam pueris, ut ob illorũ quidem abſentiam, horum aũt corruptos mores et inſolẽtiam facile poſsint abuſus introduci, & abuſibus magnis populus uulnerari. magnis ergo abuſuum plagis impoſitis, & ob amiſſas tot prouincias, & tam debilitatã fidem, ſemi uiuo relicto populo chriſtiano, abierunt noſtri latrones, utiq; cum latrone

Margin notes: Eſai. 32. — Roma. 12. — Luc. 10. — 2. The. 2.

Pſal. 52. Iuda,& cum eis qui deuorãtes plebem Dei ut cibũ panis, nolentesq; intel-
Iob.21. ligere ut bene agerent,dixerunt deo:recede à nobis,ſcientiam uiarum tuarũ nolumus. Cum aũt ſic diſpoliatus, uulneratus, ſemimortuus, annis multis hactenus iacuiſſet populus dñi, quo magis incãtantis draconis apparerẽt demẽtationes:deſcẽdit ſacerdos,deſcẽdit leuita,illi uidelicet,quorũ erat,afflicto cõpati & mederi, & (nequã ob rei ignorãtiã poſſent adferre excuſatione)uiſo eo,uiſo inquã uulnerato,uiſo ſemimortuo,pręterierũt,nullo adhibito remedio, nulla habita compaſsione.prętererierunt inquam,et abierunt
Mat.22. alius in uillam ſuam, alius uero ad negociationem ſuam,ut tandem peruenirent oẽs in locũ ſuum,ubi nunc iudiciũ ſine miſericordia fit illis, quia hic non fecerũt miſericordiam. Populus autem uulneratus uiſa illorum quidẽ tanta cupiditate,ſęuitia,& crudelitate, horum autẽ tam magna negligentia, duritia,& inhumanitate,quo ad magnam ſui partẽ, ꝓ dolor incidit in phrenesim ac furorem. Et phreneticorum ac furentium more, oĩa fidei noſtræ chriſtianæ ac religionis myſteria, conculcare, blaſphemare, negare,denudare & prophanare cœperunt,diuiniſsima Chriſti ſacramẽta, Apoſtoloꝝ traditiones,ſanctas eccleſiæ cerimonias,ſacroꝝ conciliorum decreta,ſummorum pontificũ & epiſcoporum authoritatẽ, patrum præcepta,maioꝝ admonitiones,opera pœnitentiæ,uitam regularẽ,merita,denicq; oĩa bona, præter unam neſcio quã temerariam,confictamq; fiduciam,patribus quidẽ inuiſam, ſomniatam autẽ ab uno miſero Martino Luthero, qui uelut alter
Ecle. 47. Hieroboam peccare fecit Iſrael dei, & germanicam ſtrenuãq; decepit gentẽ
3. Re. 14. alioqui ad bonũ ualde ꝓpenſam, & Lutheri erroribus certe indigniſsimã. Samaritanus uero cuſtos ſolus noſtros miſeratos errores, ſolus laborem & dolorem conſiderans, qui niſi cuſtodierit ciuitatẽ fruſtra uigilant cuſto-
Pſal.126. des, qui nõ dormitat nec dormit,cuſtodiens Iſrael ſuum,nouiſsime diebus
120. iſtis uidens uidit afflictionẽ populi ſui, & gemitum eius audiuit.uidit uulnera,uidit nuditatem,& uidens miſericordia motus eſt.Et mirificans miſericordias ſuas,appropians alligauit uulnera eius, ſpem ſalutis conferendo, fundens oleum & uinum:ſic uſus miſericordia, quòd iuſtitiæ(ut uidimus) non fuit oblitus. Et pp ſemetipſum & pp merita paſsionis ſuæ (quod eſt imponere ſauciatum ſuper iumentum ſuum)duxit ĩ ſtabulũ ſeu diuerſoriũ, prędter hoĩum merita,ſpem,& opinionẽ duxit in conciliũ,quod diuerſoriũ & infirmitorium eſt,ad quod ſolitus eſt dñs ducere populũ ſuũ, quoties ei compaſſus,nulnera ipſius ſanare uoluit,curam illius agens. Quandoquidẽ
Exo.3. per concilia tanquam ꝑ ultimam medicinã, & poſtremũ remediũ,maxima quęq; uulnera populi chriſtini ſanata fuiſſe,& legimus, & audimus:curatas calamitates maximas, extincta ſumma incendia. Itaq; ſpes ſalutis data eſt, populi chriſtiani alligata ſunt uulnera non ſanata, ſanationis enim gloria uobis patres reſeruata eſt. ad quam tam magnam, immo uero maxi-
Mat.20. mam gloriam, multi quidẽ ſunt uocati,ex multis aũt uos pauci electi. gaudete & exultate quia ꝑ uos paucos ſalus hęc tã magna, tam neceſſaria, tam

deſiderata populo tam uulnerato, conferenda eſt. Nec.n.differentia eſt in 1. Mac. 3.
conſpectu dei cœli liberare ĩ multis & in paucis, qm̃ nõ in multitudine exer
citus uictoria belli, ſed de cœlo fortitudo eſt. Ita nõ in multis medicis ſalus
eſt populi ægroti, ſed dñi eſt ſalus, ut ſit ſuper populũ ſuum benedictio ſua. Pſal. 3.
ipſe.n.eſt qui medetur, & p uos paucos manus eius ſanabunt, dũmodo Sa
maritani præcepta ſeruare uelitis & monita, pro ſalute populi expendẽdo
duos huius rei gratia ſuſceptos denarios, duplici (quam habetis) diffiniendi
dogmata reformandiq́ꝫ mores utentes poteſtate. Niſi forte Samaritani prę
ceptis ſurdos uos exhibentes, & tanta corona uos iudicantes indignos, rei
(quæ omnino facienda eſt) gloriam, ad alios transferre negligendo curetis.
quaſi pretioſos oblatos theſauros per ignauiam accipere recuſantes. Attñ
hortamur uos, inquit apoſtolus Paulus in epiſtola hodierna, ne ĩ uacuum 2. Cor. 6.
gratiã dei recipiatis. ait.n. tp̃e accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te.
ecce nunc tempus acceptabile Patres, ecce nunc dies ſalutis. nemini dantes
ullam offenſionem negligentię, ſocordiæ aut timiditatis, ne dicam ſummæ
potius crudelitatis. Ne uituperetur tam magnũ miniſterium ueſtrum, tam
excellens, tam præclarum. ſi.n. uos qui populi Chriſtiani patres & conſo-
latores eſtis, eius uicem non doletis, ipſius nõ miſeremini, quis alius uicem
ipſius dolens, miſerebitur eius? ſi modo & hic non, quando hic miſerendi
gr̃a conueniſtis oẽs, ubi & qñ ergo? ſiquidem nunc tempus eſt acceptabile,
nũc dies eſt ſalutis, hic & nũc locus & tẽpus eſt miſerendi eius. tempus pu-
tationis aduenit, uox turturis audita eſt in terra nr̃a. gemebũda uox afflictę Canti. 2.
eccleſiæ matris ueſtre, ad cœlum uſq́ꝫ perueniens, audiri debet in auribus ue
ſtris, peruenire ad cor ueſtrũ, potiſsimũ nunc, qñ ſpẽs dat̃ ſalutis, qñ populi
Chriſtiani alligata ſunt uulnera, qñ principes nr̃i inſperatas conſequuntur
uictorias, & in proximo eſt, ut ad gregem redeant hactenus deceptæ erran
tesq́ꝫ oues. Quãdo infidelium populoꝝ & regũ apud Indos nouas ad fidẽ
audimus conuerſiones. Quando deniq́ꝫ oĩa uobis arridere uidenť: uos.n. Mat. 5.
eſtis nõ ſolum lux mundi pp doctrinam & dogmata, ſed etiam ſal terrę pp
reformãdos hoĩum abuſus, tollendasq́ꝫ morum corruptiones. oĩs quippe Gene. 6.
caro corrupit uiam ſuam. corruptęq́ꝫ ſunt cicatrices à facie inſipientiæ nr̃æ. Pſal. 37.
quòd ſi ab ordine literę ſumere argumentũ licet, prius eſtis ſal terræ, quàm
ſitis lux mũdi. ait.n. uos eſtis ſal terræ, deinde paucis interpoſitis, ſubiungit
uos eſtis lux mũdi. ſi ergo p fidei doctrinam uultis eſſe lux mundi, ſi ad iu-
ſtitiam plurimos erudire, ſi tanquã ſtellæ lucere in perpetuas æternitates, ne
lapides clamẽt, eſtote ẽt ſal terræ, eſtote moꝝ reformatores, & ſic luceat lux Dani. 12.
ueſtra corã hoĩbus, ut audita doctrina, uidentes opera & reformationẽ ue-
ſtram bonã, glorificent patrẽ ueſtrum, qui in cœlis eſt, memores ꝙ accenſa
lucerna nõ in abſcõdito ponitur, nec ſub modio. ardensq́ꝫ candela niſi inflã Mat. 5.
mata luceat, fumans fœtet, atq́ꝫ uehemẽter moleſtat, & ſi ſal infatuatum fue
rit ſaliendiq́ꝫ uirtutem amiſerit ad nihilum ualet ultra, niſi ut mittatur foras, Ibidem.
& conculcetur ab hominibus: memores quòd ficui illi ſecus uiam exiſtẽti, Ibidem.

audens.

Mat.21. quæ eſurienti domino folia tantum non fructum protulit, dictũ fuerit, nun
Mar. 11. quam ex te fructus naſcatur in ſempiternum: quæ (ut Marcus refert) pro-
pterea areſacta eſt à radicibus. denique qui in uno peccauerit, factus erit om
Iac.2. nium (quanto magis duorum) reus. ubi ergo neceſsitas eſt ſalutis, tem-
pus eſt acceptabile, miſericors & miſerator dominus exaudire & adiuuare
Luc. 19. et pollicetur, nemo puſilli animo ductus, talentum ſibi creditum in ſudario re
Mat. 25. ponat, aut in terra fodiens, ipſum abſcondat, ne ex ſuo ipſius ore ſeruus ne
Rom.1. quam infidelis à domino iudicetur, nemo ueritatem Dei in iniuſtitia deti-
neat, ne inexcuſabilis ſit, obſcureturq́ inſipiens cor eius, atq; tradatur in re-
Ex pſ. 39. probum ſenſum. Nemo deniq; miſericordiam dei abſcondat à concilio
multo, ab eccleſia magna, ne abſcondantur ab eo miſerationes diuinæ, cir-
cundent eum mala quorum non eſt numerus, cõprehendatur ab iniquitati
1. Cor. 4. bus ſuis, & non poſsit ut uideat, multiplicentur ſuper capillos capitis eius,
Luc. 2. & derelinquatur à corde ſuo. Siquidem omne generale concilium ſpectacu
lum factum eſt mundo angelis, & hominibus. Poſitum eſt in ſignum cui
cõtradicitur, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes, ut qui pro-
bati ſunt, manifeſti fiant. Poſitum eſt in ruinam & in reſurrectionẽ multo-
rum in Iſrael dei. date operam patres, ut in reſurrectionem non in ruinam
Pſal.94. poſiti ſitis. non obdurantes corda ueſtra, ſicut in exacerbationẽ ſecũdũ diẽ
tentationis in deſerto, ubi tentauerunt eum patres ueſtri, ut probarent &
uiderent opera & terribiles eius punitiones, quibus ideo iurauit in ira non
intraturos eos in requiem ſuam. ponentes interim in cordibus ueſtris de
manu ueſtra requirendôs eſſe omnes quæ poſthac (ob remedij defectum)
Ezech.33. perierunt animæ, dicente Ezechiele de manu ſpeculatorũ requirendos eſſe
pereuntes. quid profuit malis agricolis debitos uineæ fructus non reddere
Math. 21. in tempore ipſo, atq; ad habendum hęreditatem (quã propterea amiſerunt)
coniuraſſe in dominum uineæ niſi ut ex ſua ipſorum ſententia male perde-
rentur, & uinea alijs locaretur agricolis, qui redderent fructus temporibus
4.Reg.9. ſuis? parum profuit Iehu regi Iſrael ex mandato domini abſtuliſſe cultum
Baal, ſacerdotesq́; eius occidiſſe, atque deleſſe impiam domum infidelis
Acab, qui uenditus fuerat ut faceret malum, dimiſsis interim uitulis au-
reis, quos maiores natu, principes populi & ipſe adorabant, & regi
Ioas eius nepoti ac ſucceſſori uehementer iraſcitur moriturus propheta
4.Re. 13. domini, currus Iſrael & auriga eius, eo quod iuſſus in uerbo domini
ſagittis percutere terram, percuſſerit tantum ter, atque ſtetiſſe, quoniam ſi
percuſsiſet quinquies autem ſepties, deuaſtaſſet Syriam. Ita nunc patres nõ
admodum multum prodeſſet, quaſi tantum ter ſagittis ueſtris terram per-
cutientes, damnaſſe cunctas hæreſes, errores omnes, ſi tamen (quod ab-
ſit, quod Deus omen auertat) remanere contingat abuſus maximos,
quos nemo non uidet, qui ſunt huius temporis uituli aurei quos uiri ec-
cleſiaſtici, maiores populi, ne dicam eccleſiæ principes adorant in malum
ſuum

ſuum & eccleſię ſcandalum, cum certiſsimum ſit, huius infelicis tpis errores
propter abuſus ortos fuiſſe, propter abuſus ſumpſiſſe incremētū, & ꝑpter
abuſus penè in tota eccleſia diſſeminatos eſſe. Et niſi abuſus tollantur, uix
ceſſabunt, quę ꝑ ueſtram diffinitionē damnatæ ſunt, & damnabunť hęreſes,
imo ut uero ſimile eſt (dracone id efficiente) alij naſcentur errores, multo
plures atqꝫ peiores. Si ergo fidei Chriſtianæ zelus uos comedit, ſi populi
deſpoliati, uulnerati, & ſemimortui uicem doletis, ſi eccleſiaſticę authoritati
maxime conſultum eſſe uultis, & deniqꝫ ueſtro officio non deeſſe, uni nunc
reformationi uacate, uni reformationi incūbite, & ſaltē ſerò ægrotis me-
dicinam parate: nā mala per longas conualuere moras, nunquid.n.unam
tātū benedictionē habetis patres, ut de dogmatibus tam diligenter agētes,
de moribus aut parum aut nihil agatis? nō contentemini una benedictione
patres, non contentemini ſola doctrina, non contentemini ſolis dogmati-
bus. nos enim non contentabimur, & ab hac lucta non ceſſabimus, & uos
hinc nō dimittemini quouſqꝫ per reformationem nobis benedicatis. quid
enim prodeſt homini (ait canon) recte docere, & ſuo errore non pollui, *Diſtin. 83.*
qui conſenſum præbet erranti? erranti quippe conſentit, qui ad reſecanda *c. quid.*
quę corrigi debent, non occurit. Nam error cui non reſiſtitur, approbať, *c. errant.*
et ueritas quę minime defenſatur, opprimitur. Negligere quippe, cū poſsis *c. cōſcietię*
perturbare peruerſos, nihil aliud ē, quā fouere, nec caret ſcrupulo ſocietatis
occultæ qui manifeſto facinori deſinit obuiare, & ut decretalis habet, licet *c. licet he-*
Hely ſūmus ſacerdos ī ſe bonus exiſteret, quia tñ filioꝝ exceſſus efficaciter *ly. d ſimo.*
nō corripuit, & in ſe, & ī ipſis animaduerſionis diuinę uindictā excepit, dū
filijs in bello peremptis, ipſe de ſella corruens, fractis ceruicibus expirauit.

Eia ergo agite nunc patres, & iam reformandis corruptis moribus ac-
cingemini, accingemini inquam, & eſtote uiri potētes, quoniam melius uo *1. Mac. 3.*
bis eſſet mori in hoc ſancto bello, quàm ueſtra culpa uidere tot mala gētis
noſtrę & ſanctorum, ſicut ſcitis uoluntatē eſſe in cœlis, ita facite: incipientes
uidelicet à ſanctuario dei, à quo ſicut olim uita & oīa bona, ita nunc mors *Ezech. 9.*
& mala cuncta procedūt. Conſecrate manus ueſtras deo, percutite ſepties,
ut deuaſtetis excelſam inimicam Syriam, nō timeatis, qui domini ſunt, iuſti
ſunt uobis. quod ſi timendum eſt, & propter infirmitatem carnis ueſtrę ti- *Exo. 32.*
mere oportet, timete illum qui terribilis eſt in conſilijs ſuper filios homi- *Pſal. 65.*
num: illum timete, qui poſtquam occiderit, poteſtatem habet mittere in ge *Luc. 12.*
hennam. timete dominum, quia timor domini ipſe eſt theſaurus eius, eſt *Eſa. 33.*
fons uitæ, & à peccato & à morte liberat. Sed iam dicendi finem faciamus. *Proue. 14*
ſi tamen pro ratione temporis & loci, prius admonuero paucis domina-
tiones ueſtras, ut meos obſeruandiſsimos patres, Reuerendiſsimos dños.

O paſtores dominici gregis, uineæ domini ſabaoth cultores, Populi
Chriſtiani patres & medici, belli domini duces ac bellatores. grande opus
incepiſtis, quod perficientes, grandem accepturi eſtis coronam. non relin-
quatis hoſtes à tergo, non relinquatis incurata uulnera, nō relinquatis im-

perfectum opus, ſic pugnate cum antiquo ſerpēte ut eo proſtrato & ipſius
deſtructis munitionibus, accipiatis regnum æternum, ſic nobis ægrotanti
1. cor. 9. bus, gementibus, & auxilium ueſtrum implorantibus medelam adhibite,
ut uulnera noſtra curentur, ſic deniq; currite, ut comprehendatis. currite
inquam, non quaſi in incertum pugnate, non quaſi aerē uerberantes. Vul-
nera ſanate, non quaſi ſuper ſanantes, ſequiente nūc plaga, murum uos oppo
nite pro domo Iſrael atque tanquā naturales legitimiq; patres uicem dolete
pereuntium filiorum. Vineam domini Sabaoth uobis creditam diſſipatā,
Ezech.13. exterminatam, ſanctiſſimis legibus ſepite, uallate, murate, errantes reducite
Zach.11. oues, non derelinquentes gregem, ut paſtores idolum. nolite tot ac tanto-
rum laborum amittere præmium, nolite ponere maculam in gloria ue-
ſtra, nolite cum Iuda abire retrorſum, tam magnam gloriæ amittentes
coronam. Seminate dum tempus habetis, ſuo enim tempore metetis non
deficientes, labor enim ueſter non erit inanis, eritq; merces operi ueſtro,
quando Samaritanus (qui uobis curandum populum credidit) redierit,
Luc.6. quādo menſuram bonam, & confertam, & cogitatam, & ſupereffluentem
dabunt in ſinum ueſtrum. quando uobis paſtoribus, uobis inquam paſto
ribus dicturus eſt ipſe princeps paſtorū. Vos eſtis qui permanſiſtis mecū
Luc.22. in tentationibus meis, & ego diſpoſitum habeo uobis, ſicut diſpoſuit mihi
pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meā in regno meo.
Apo.14. Tunc, quando dixerit ſpiritus ut requieſcatis à laboribus ueſtris, quando
abſterget Deus omnem lachrymā ab oculis ſanctorum, ut non ſit amplius
Apo.21. nec labor, nec luctus, nec timor, ſed nec ullus dolor. Tunc conſummata
omni tentatione, non dico accedent angeli ad miniſtrandum uobis. quin
Luc.4. immo accedet ipſe dominus Angelorum, & tranſiens miniſtrabit uobis
Luc.12. regnum. quod nobis miniſtrare dignetur ipſe, cui hodie angeli miniſtrant.
qui hodie de hoſte triumphat, & de eo triumphare nos docet. qui militiæ
noſtræ, laborumq; noſtrorum fidelis eſt Deus retributor benedictus, & lau
dabilis, & glorioſus in ſecula. Amen.

DIXI.

Z
1034.13

29 956712

VI

103a 1